

Paul Ruting

## **Amorvm Conivgalivm Pavli Rvtingii Rostochiensis Liber, Qui est Gratulatoriorum Primus**


Rostochii: Myliander, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762880180>

Druck Freier  Zugang








13585

MK-13585.  
~~MK 4029.~~











AMORVM CONIVGALIVM

PAVLI RVTINGII  
ROSTOCHIENSIS

L I B E R,

Qui est Gratulatoriorum

*Primus.*



R O S T O C H I I,  
*Imprimebat Stephanus Myliander,*

---

ANNO M. D. C.





ifs. Principibus ac Dominis,  
Dno. **DOLPHO FRIDERICO,**

&

Dno. **IO ANNI ALBERTO, F. G.**  
Ducibus Megapolensibus, Principibus vetustæ gentis He-  
netæ, Comitibus Swerinensibus, Rostochij ac Star-  
gardia Dominis, Dn. meis clementiss.



**I**llustrissimi Principes, Domi-  
ni clementissimi; In terris sanè ni-  
hil est admirabile & magnum, præ-  
ter hominem, quem nonnulli terre-  
strem mortalemq; Deum nominare  
voluerunt. In ipso autem homine nihil eximi-  
um, præter animum, utpote qui divinæ particula  
auræ, ut cum lyrico loquar: In quo ipso rursus  
nihil magnum, nihil admirabile præter virtutem  
& scientiam. Semper autem virtutis ac doctrinæ  
Magistri existimati & habiti sunt poëtæ; Quod  
vel mediocriter litteris tincto ignotum esse non  
potest. Vt enim cæteros taceam primæ classis  
omnes, quis ignorat de Homero, virtutis ac sapi-  
entiæ doctore solertissimo, doctos affirmare non  
dubitasse: nullum unquam scriptum, inde usq;  
à primùm condito orbe, ulla in lingua aut natio-  
ne, ab ullo ingenio humano editum esse, in quo,  
sacris exceptis, vel doctrinæ tantum sit, vel vir-  
tutis exemplorum, vel elegantia & suavitatis.  
Quare cum Homerum, tum cæteros id genus  
Poëtæ, in summo precio semper homines cor-

A 2

dati

dati habuere, ut etiam Reges ac Principes ijs suæ  
amicitiæ fores cupidissimè patefacerent, ac sin-  
gulari eos liberalitate benevolentiaq; prosequen-  
rentur. Ac profecto græcos in maximo precio  
habuisse Homerum, vel ex unico illo Alcibiadis  
facto constat, pædagogo os probè occillantem, in  
cuius ipse bibliotheca Homerum non repererat.  
Quam scitissimè etiam Plutarchus de Rege Ma-  
cedonum in deliciis habente Homerum,

*Terribiles inter lituos sonitusq; tubarum*

*Rex Macedo legit carmen HOMERE tuum.*

*Fessaq; nocturna cum membra quiete levaret,*

*Dicitur hoc strato supposuisse suo.*

Et Hesiodum sane à Græcis pueris qui li-  
beraliter instituebantur, ediscendum propositum  
Columella testatur. In quæ exempla cum respi-  
cerem, ego quoque ex multis unus, cum cæteris  
artibus liberalibus, tum divinæ Poësi operam ut  
darem, rei ipsius utilitate ac iucunditate sum ad-  
ductus. Quid vero ex hoc studio consecutus  
sim alij iudicent, quibus rectè de his iudicare con-  
cessum. Reliquos enim, vel propter nimiam cu-  
riositatem, vel venam reprehendendi procliuio-  
rem nil moror: V. V. autem C. C. Illust. prin-  
cipes Dn. clementis. hunc primum meum libel-  
lum dedicare submisè volui. Nam & divus Avus  
vester, & laudatissimæ memoriæ Illustr. vester  
Pater, Augusti Imperatoris, cui Virgilius & Hora-  
tius; Lælij sapientis, cui Lucilius; Archelai, cui  
Euripides; Hieronis, cui Æschylus & Simonides  
chari



chari fuerunt; laudatis. exemplo viros doctos  
foverunt, aluerunt; Hodieq; idem faciunt celsis.  
CC. VV. Propatruū ac patruus, & CC. VV.  
ipsæ, eiusdem erga litteratos clementiæ signum  
iam dudum extulerunt, ut hoc omnino datum il-  
lustrissimo vestro generi divinitus videatur, *Vobis*  
*Nascentibus*; quasi majus lumen oriri & accendi,  
quod de sublimi quadam specula, errantibus ho-  
nestis disciplinis, viam & hospitium ostendat.  
Accipite ergo illustr. Principes Dn. clementis.  
Ievidense nostræ Camænæ munusculum, hilari  
hoc ipsum atq; innube fronte pervolvite, & con-  
tra arrosiones momulorum illustris. vestræ cels.  
aurula mitiq; Fauonio turantes, me, meamq;ue  
Camænā vobis commendatissimam habere.  
Deus opt. max. alis præpotentis suæ dextræ, vos  
in ipso ætatis vigore juvenili constitutos, ab omni  
incurfu malefico, quam diutissimè incolumes, sal-  
vos, & florentes in salutem ditionis Megapolen-  
sis protegat ac conserve; Vos enim estis  
*In quibus & Generis vestri illustrissimi, & in queis*  
*Spes Megalespoleos terræ inclinata recumbit.*  
*Heroæ ô mentes, servet vos dextera dia!*  
*Vos cano, vosq; canam dum sanguen amabile vestrum*  
*In Megalespoleos superest, regnatq; viretis.*  
Datum Rostochii ex meo Musæo, 4. Septemb.  
Anno; 600.

VV. CC.

*Subiect.*

*M. Paulus Rutingius.*

IN AMORES CONIVGALES  
M. PAULI RVTINGII R.

**H**ÆC tua dum primis cœpi gustare labellis  
Mellito Phœbi carmina tincta fauo  
Sic tibi dicebam: mi Paule politius ecquid?  
Quid maius possis, quid meliùsue dare?  
Ut repeto & positos ex ordine voluo libel-

Offendit sensus nausea nulla meos. (los,  
Sed tamen hoc audi: surgit tibi prima iuuentus,  
Barbæ & adhuc molles ventilat aura comas.  
Vt video ætatem, video ingenijq; vigorem,  
Debes quid maius, quid meliùsue dare.

Martinus Braschius Log. prof. Faculratis  
Phil. pro tempore Decanus.

**C**Armina, RVTINGI, tua, docta, canora, polita  
Dum lego; te felix prædico Rostachium.  
Tu clarorum altrix semper præclara virorum es,  
Ut te Mycenen dicere iure queam.  
Tu sacros mystas, tu Baldos, tuq; Galenos,  
Et, quorum volitant scripta per ora virum,  
Producti Vates castos: Lindbergius ille  
Quos inter primus laurea ferta tulit.  
Fallor? an à primo Rutingi eris ille Secundus?  
Qui nulli ingenio ac arte Secundus eris.  
Cedite vos Mergi! RVTINGIVS inter olores  
(Rumpatur Momus) laurea dona geret.

Iohannes Simonius Rhetorices  
professor publicus.

Cum



**C**um tua Coniugibus gratantia metra nouellis,  
 Coniugij vidit Sponsor & obses Hymen :  
 Risit, & heus, ait, in thalamos tam docta iugales,  
 Carmina RVTINGI qui dare docte potes,  
 Ipse expers thalami, nunquang, Hymenæia verè  
 Legitimo expertus gaudia forte toro ?  
 Sed benè habet : memor ipse tuo pro munere faxo,  
 (Gratia si quid adhuc nostra vigoris habet)  
 Vt quoq, post tempus breue pulcrocucermula, casta,  
 Et pia virgo tibi gaudia blanda creet.  
 Tunc ea quæ in lucem nunc metra Theoricus edis,  
 Practicus in tenebris experiare uigris.

M. Petrus Bambamius P. L.  
 In Aula Peccateliana F.

**I**gne continuo semper versantur in actu  
 Ingenia, & celso rident obstacula cachinno,  
 Et morsus temnunt tacitos, quos subdola passim  
 Iactat turba, artis nullo perfusa colore.  
 Hoc factò probat insignis RVTINGIUS: illum  
 Nec Sciolus, nec Momus iners deterret, ut atris  
 Infuscet tenebris meditata in flore iuventæ  
 Carmina, queis teneros Corclorum lufit amores.  
 Hinc tibi Mome ansam capta, desistere tales  
 Rodere Naturas, quæ nil tua scommata curant,  
 Atq, oleri flatus istos inflato calenti.

M. Paulus Neovinus Scholæ Cathe-  
 dralis Ratzeburgensis Rector  
 ad Oxidius f.

M. PAV-

M. PAVLO RVTINGIO  
amico amicis.


*Amores suos in Roseâ urbe contractos  
edenti*

hoc asma.

**F**icta puellarum Clarij Philemata Vates  
Rumifcent, tacitas ille vel ille faces :  
Ille suæ claret genialia regna Corinna :  
Cynthia huic crebros conciliet gemitus :  
Alter Lesbicos æstusq; catulliat exmens :  
Delia & hunc nutu expectoret ancipiti.  
Quisq; suos manes patiatur gallior, aptæ  
Frigutat Domina cum remeant species.  
Felix RVTINGI meliori pectora thyrso  
Percussus, tædas qui vehis haud dubias :  
Et canis intacti socialia Adonidis ausa,  
Copulat in ROSEIS quæ DEA blanda iugis.  
Quin te vera magis exempla morantur amorum :  
Ficta etenim haud rarò præmia ficta tenent.  
Non hoc sollicito censore opus impallescet :  
Namq; auris tegitur Cypridos & Charitum.  
Fallor an illa fauens olim pro talibus ausis,  
Ostendet comtam PAVLE tibi faciem.

David Reurzius Rostoch. f.





ΟΔΗ ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΣ

*Ad*

M. PAVLVM PETREIVM Ec-  
clesiasten Rostochiensem, &  
GERTVDEN ESSENIAM.



*Vc Lesvium nunc Phosphore barbiton  
Cedo ; Lyram tu Castalidum parens :  
Et vos piæ favete linguis  
Aonides, citharamq<sub>3</sub> fertes*

PAVLOq<sub>3</sub> PETREIO socialia

*Iura appetenti carmen amabile*

*Vobis, viroq<sub>3</sub>, & sic beata*

*Letitia canitore dignum.*

*Hunc namq<sub>3</sub> juvit vestra sacraria*

*Decora lymphis dulce strepentibus,*

*Hortisq<sub>3</sub> olentibus suave*

*Visere continuo labore.*

*Et sicca grato fluminis aurej*

*Liquore vestri, labra rigare, dein*

*Flores manu certatim odores*

*Carpere tempora queis coronet.*

*Doctas ad oras Varniadum nigras*

*Noctes, & almi munia Cynthij*

B

CHVIG

Curis, labore perspicacis  
 Ingenij docilis sefellit.  
 Hinc mox IENÆ prata comantia  
 Visuro, amænis gloria frondibus  
 Daphnes revulsis pervirenti  
 Corpore, læta caput coronat.  
 Hinc aure sacrum dogma MYLI imbibens  
 Viramq̄, cautè dicta celebrium  
 Notans PETREIVS ad paternas  
 Arte gravis remeavit ades.  
 IENÆ revulsos scilicet vt domi  
 Flores, disertus spargat, vt optimis  
 Beata cuncta, pessimisq̄  
 Tristia terribilis revelet.  
 Nec sat: decenti corpore florida  
 Maiorq̄, mentem iungitur huic toro  
 GERDRVDIS illa quæ laborum  
 Dimidium feret anxiorum.  
 O Virginem pulcram! Euphrasæam auream!  
 O et pudicis moribus! & pijs  
 Latam parentibus. Marito  
 Dulce bonum GEREDRVDIS hæc est.  
 O te beatam, cui Charites piam  
 Nympham iugali iungere fœdere  
 Dignantur; ò tuo beatam  
 Connubio, quater ò beatam!  
 Novum hunc Maritum cum sociâ tori  
 Casti, sereno respice lumine

Beatitas



Beatitas æterna: tum patris  
Insciat genialis ora,  
Ornerq̄, radas, lilia suggerat,  
Concordiamq̄, ut postera secula,  
Ignara litium parenti  
Progeniem similem reducant.

Anno 92. Mens. Jul. f

SPONSO  
BALTHASARO BESELINIO  
Patritio Rostochiensli, &  
CATHARINÆ RVNGEN.

PIMPLEA dulcis fontibus & choris  
Cragi virentis, frondibus & comis  
Gaudens, apricos nocte flores,  
BALTHASARO modo nocte fertum.

Cessas? amœnis texere frondibus  
Daphnes resectis (fas siquidem) jube.  
Adsisq̄, Cynthi, ac patre claro  
BALTHASARUMq̄, choris amicum

Vestris faceto ludere barbito  
Dignere, versum & promere. Nam simul  
Amore Musarum receptus  
Palladiæ invigilavit arti:

Tectum relinquendo patrij soli  
Suave, & istinc sole alio calens  
Solum peragrans, sacra montis  
Pierij ut juga visu obiret.

B 2

LAVI

Lavit madenti ut Castalij RHODI  
 Crines solutos rore. Nec id sat est,  
 Sitim levare ARGENTORATI  
 Dum è gelidis lacubus laborat.

Huic, lene vos quæ consilium datis,  
 Prona offerentes urceolos manu  
 Liquore labra perlulistis  
 Gorgoneo faciles refertos.

Inde arte pollentem eximia, inclyta  
 Virtute clarum, ducitis huc domum,  
 Ut grata commoda atq, multa  
 Liminibus referat paternis.

Hinc mite prognatum patre iungitur,  
 Qui civitatem quis deceat status  
 Curat levamen illud, ortum  
 Semmate Rungiadum CATRINA.

Tibi hæc nitet iam BALTHASARE hæc nitet,  
 Tete urit huius BALTHASARE optime  
 Splendor, protervitasq, grata,  
 Marmore lucidior renidens.

Vtcunq, malis aspicere hanc placet :  
 Seu fulgeant ut rubra corallia  
 Collo, comæ ceu Cypridos, ceu  
 Aurea mala micet pudore.

Sed multa quid? Quis non meritum putet  
 Virtutis? Ergo nos meritò tibi  
 Congratulemur, atq, adeptæ  
 Iam sociæ thalami pudicæ.

Hæc



Hac tu dolorum si cumuli sient  
(Clementer autem Rex superum arceat)  
Lenito crudos, udo & austro  
Tristitias dato devorandas.

Quod restat ergo, vos maneat precor  
Sapora myrtus, perpetuo virens  
Laurusq; ; Lis eliminetur,  
Postibus & fugiat cupressus.

Anno 93. V. cal. Sept.

M. IOHANNI SIMONIO Eloquen-  
tiae Prof. in Illustri Rosarum Acade-  
mia industrio &

MARGARITAE SMEDES.

A. **T**E quoq; flexanimi tandem modulaminis illex,  
Caepit blanditijs diva Erycina suis?  
Caepit MARGARIDEN tibi consociando venustam,  
Prognatam antiquo stemmate SMIDIADV M.  
Gratulator; Ac precor ex animi penetralibus, illud  
Felici ut subeas alite coniugium.  
Sed, mihi quam video, quanam est illustris imago?  
Quis dextro lateri, quis Paranympus adest?  
En nostri VLRICI Legatus Principis, Heros  
BARNERIVS! verum quis latus alterum habet.  
Principis illustris num dextra manus GVLIELMI,  
Sanctum connubij ut saedus inire paras?  
Principis imo viri, quem Semis-gallia fortem,  
Et Curlandorum terra videt Dominum.

B 3

Talibus

Talibus ô felix Paranymphis IANE SIMONI!  
 Sed mihi quis Sponsæ quis Paranympheus ibi?  
 Dextrum MARGARIDOS latus illustrissimi adornat,  
 Norvegiæ VLRICI Principis ecce latus;  
 Levum BRVNO Comes Mansfeldicus (euge notatu  
 Res digna) adducunt MARGARIDEMq; toro;  
 Principibus placuisse Viris non vltima si laus,  
 SIMONI Aoniæ gentis honor rutilans;  
 Næ florere gradu primò te dixerim honoris,  
 Fanaq; te instabilis rectè adyisse Deæ.  
 Maçte hac sorte tua; Maçte illustrissimi ocellis,  
 Et bonitate tui Principis eximia.  
 Vive diu, floresce virens, reviresceq; florens,  
 Et cape quæ capere est fas, bona cuncta, VALE.  
 Nupt. celebr. Anno 92. 2 Sept.

DAVIDI SEBALDO  
 &  
 CATHARINÆ PRÆTORIÆ.

**L** EVCOTHEA ut nuper croceis redimita capillis  
 Liquerat vndivomi cærulea tecta patris.  
 Purpureisq; oculis lustrarat cuncta, canoras  
 Eliciens volucres fingere dulce melos;  
 Collibuit mihi cum socijs, viridesq; Napæas  
 Visere, & arguti frondea tecta patris.  
 Nec mora, floriferi nemoris juga aprica subimus,  
 Iuvit vbi prompta texere ferta manu;

Quæcis



Quæis textis, stratos convalle sub arbuti amena  
 Membra, invitavit nos genialis odor.  
 Ecce autem subito penetrabilis aure receptus  
 Conventus, curvæ visaq; plectra lyre.  
 Namq; hinc Aonio resonantem carmine sylvam  
 Cernimus, hinc strepitu sibilat omne nemus.  
 Mirati: Nobis unde hæc modulamina cantus?  
 Suaviter hoc feriens, inquam, unde melos?  
 Vix fati exuta extemplo, mixtisq; lacertis,  
 Vestibus, en Charitum membra decora tibi:  
 Euphrosyne, Aglaia, at præcessit blanda Thalia,  
 Sertaq; laurifero à fronde revulsa tulit.  
 Ocyus accelerant verbisq; affantur amicis.  
 Quo petitis juvenes? quoræ? manete boni.  
 Consociate viæ nostræ vos officiosi,  
 Hac placitum est nobis fundere luce jocos.  
 Dextræ etenim dextram sociali fædere junget  
 SEBALDVS, patrie lumen honosq; domus.  
 SCHVLTZIADEN roseam patrio de limine secum,  
 Ducere Marcomanum ad littora docta parat.  
 Illi hinc Laureolam nostris, qua tempora cingat,  
 Contextam unguiculis offero, dico, sacro.  
 Ille fuit quondam clarus luctator in arvis  
 Impiger, hinc merito laureaserta feret.  
 Nunc quoq; coniugium faustum, faustumq; Hymenæum  
 SEBALDO nostro sidera fausta precor.  
 Tantum de tribus una soror, nec plura locuta  
 Discessit socijs concomitata suis.

Illam meam vero subijt sententia mentem  
Figere in his oris te voluisse pedem.  
Quanta spe falsus! te martia Marchia nobis  
Invidet; Est sati vis ea & ordo DEI  
Quidnam igitur faciam? quenam tibi munera promam?  
Aurum Pactoli? aut fulva talenta Midæ?  
Sed mihi nil horum: Flores ex vertice Cynthi  
Collectos, mitto sponse novelle tibi.  
Queis tibi lætitiæ congratulor atq; salutem,  
Nestorea vita ac prosperitate torum.  
Qui modo lacteolam, & mellitam es virginem adeptus,  
Cuius in amplexu gaudia multa feras.  
Aspice ut incedat gemmis auroq; decora,  
Nec virtute minus casta, pudica, proba.  
Aspice in obtutu ut SEBALDI lumina fixa  
Consistant, roseoq; emicet ore lepor.  
Iam vario amplexu mutes tua brachia Sponse,  
Oscula des labris, suavia mille feras,  
Hæc tua Nepenthes, curarum hæc dulce leuamen,  
Hæc immissa mero noxia quæq; fugat.  
Sed quid multa moror? sat iam cecinere Camenæ.  
Linguaq; sat multos protulit ore sonos.  
Gratulor ergo pijs captis doctissime Sponse  
Ex animo, ac vobis prospera quæq; precor.  
Sint vobis, curæ, atq; accrescant, tristia lecto,  
Gaudia, dispereant, oscula cuncta, ruant.  
Pax, absit, lites, vigeant, fera iurgia, regnent,  
Adsit, Eris, fugiant, basia, eantq; sales.

AVTOR



AVtor & Ipse DeVs Casti CVI VINCVLÆ CVIÆ  
FæDerIs InCæptIs annVat oro pIIs.

Anno 94.

M. IOHANNI POSSELIO Acade-  
miæ patriæ Prof. græcarum literarum  
publico, &

ELISABETHÆ VVEDIGEN.

IOANNES POSSELIVS

Αναγρμ.

ANNVLI POSSESSIO.

**V**erum est quod docto sapiens canit ore Poeta,  
Nomina cum rebus sæpè quadrare suis.  
Arguit e. emplum Nymphæ præsentis IANI,  
Cuius percelebri nomina laude vigent.  
Sunt ea mira quidem, at quantum ad præsentia spectat  
Nomina, conveniens omen inesse patet.  
Transpōstis etenim ( dempto E ) mixtisq; vocablis,  
Vocula quedam oritur sacra Marita notans.  
Nominis hoc omen; Cognomen et omine constat (erit.  
Quod POSSESSIO erit: Nam ANNVLVS alterum  
Dic age POSSELI quænam est POSSESSIO? Quisnana  
Quem digitis gestas Annulus iste tuus?  
ANNVLVS iste novelli insignia sœvit honoris  
Afferre, aut tituli gaudia grata novi.  
ANNVLVS iste tuus num Pronubus optime Sponse,  
Designans thalami fœdera sacra novi?

B 5

Moris

Moris id est siquidem CYCLIS, tum cingere Sponsam  
 Aureolis digitos, quæis fidei omen inest.  
 Fallor? an id verum est? Verum est doctissime Sponse,  
 Aguror, angurij sunt rata vota mei.  
 Tecum eni VVEDIgedum sata stemmate dulcis ELISA  
 Sanctum conjugij fœdus inire parat.  
 ANNVLVM ea ipsa suum digitis ubi traxit eburnis,  
 Concedet tibi, tu huic gemmiferumq; tuum.  
 Illi hunc, hunc tibi donando sociemini uterq;  
 Permistis dextris fœdere amicitia.  
 Tantane vis verbis! præsentia tantane! tantam  
 In se comprehendit vocula nuda fidem.  
 O mirum! Ast superest etiam POSSESSIO. quidnum  
 Coniugibus largam fenore numne domum? (hæc  
 Sanè. Ea opes etenim sine quæis vix vita trahenda  
 Denotat, & multæ fertilitatis agrum.  
 Et casta toto rerum preciosius orbe  
 Coniuge nil, maius nilq; sub axe poli.  
 Nulla sub axe poli socia POSSESSIO fida  
 Splendidior; vincit fulva talenta Midæ.  
 Hæc tibi POSSELI POSSESSIO & ANNVLVS iste  
 Monstrarunt, rebus consona cuncta suis.  
 Sed missis salibus faustos tibi grator honores  
 POSSELI, Raseæ luxq; decorq; Scholæ.  
 ANNVLVS ut digitos decorat, sic aurea lectum  
 Pax coret, pax sit fida Magistra tori.  
 Gemmaq; fulgenti in pala ut respundet, ELISA  
 Gemma domus coniunx sicq; decora micet.

Anno 94. 10. Sept.

POCV.





# POCVLVM METRICVM

Et huc inferendum.

\* \* \* \* \*

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ ΑΔ Μ. ΑΝΔΡΕΑΜ  
PFEIL Sponsum.

Sunt quos POCLA iuvant dulci spumantia Baccho,  
Deliciae & quorum nocte madere mero.  
Sunt quibus undivomi curae vada caerulea Nerei,  
Quaeisq; queant cursu findere ea ipsa RATES.  
Sunt quibus umbrosos SALTUS, indagine multa  
Cingere, sylvarum & lustra subire placet.  
Sunt quibus arrident virides per CLASSICA campos  
Martia, & indomiti tergora tensa bovis.  
Sunt quaeis STIVA placet, proscissaq; vomere tellus  
Grata est, qua toto dulcius orbe nihil.  
Sunt quibus & cordi, quibus agmina muta notantum  
Equora decipiant per sinuosa PLAGÆ.  
Sunt quos sacra iuvat Cythereæ Matris inire  
Fœdera, sic liciti & gaudia ferre tori.  
Sunt pulcra ANDREA hæc multo potioraq; quam sunt  
POCLA, RATES, SALTUS, CLASSICA, STIVA,  
PLAGÆ.

Anno 95. 25. Febr.

M. IOHAN.

M. IOHANNI STVRMIO Acad.  
Gryph. Profefs. publico. &  
ANNÆ BOLDEBVCHS.

**T**E quoq; Pieridum decus indelebile STVRMI  
Blanda maritalis fœdera juris habent?  
Fœdera juris habent, quibus haud quid gratius ulli  
Obtrigit, & cunctis quæ anteferenda bonis.  
Obstupui advertens thalami te fœdera sancti  
Appetere. atq; hæsi ut nuncia fama tulit.  
Rebar enim (at falsus nimium) te odisse iugales  
Concubitus, cupidum cælibis esse tori.  
Dum Sophiæ uxorem censent doctissime STVRMI  
Perturbatricem. An concidit arbitrium?  
Concidit? an melior flectit sententia mentem  
Quæ placito veterum huic anteferenda Sophum,  
Concidit illud ais: Nam summi iussa Parentis,  
Quemlibet huic vinclo subdere colla iubent.  
Nonne Evam primus sociam coniunxit Adamo,  
Vt solatiolum præbeat illa Viro?  
Non Canæ apparens divino munere Sponsos  
Afficit, ex lymphis limpida vina ferens.  
Ritè facis STVRMI, tuaq; est laudanda voluntas,  
Ex hoc pullescunt germina grata Deo.  
Macte novo titulo; Divumq; hoc munere macte,  
Ecce tua ANNA tori fulcra pudica subit.  
Bella puella venit, virtute & moribus aucta  
Ingenio & forma bella puella venit.

Aspice



Aspice ut emineat candor, pietasq̄, venustasq̄  
Aspice quæ labris gratia, quiq̄ lepos.  
Aspice ut irradiet Phœbeæ Lampadis instar,  
Aspice blandidulo ut spiret ab ore Charis.  
O ter felicem tali te coniuge STVRMI,  
Ter quoq̄ te Sponso Sponsa novella pio.  
Hinc igitur meritò faustos tibi grator honores  
O STVRMI Aonij splendida fama chori.  
Et tibi florenti vegetos tot comprecor annos,  
Quot viridi autumnno in palmitè mala tument.  
Tot tibi Sponsa precor spirent quot in æquore squillæ,  
Tot vobis natos quot nemus abdit aves.  
Hæc precor, his votis Deus annuat ipse sacratis,  
Nec iubeat rapidos irrita ferre nothos.

Anno 95. 3. Martij.

MATTHIÆ ROTGERIO  
&  
MARGARITÆ COLERS.

**V**erum est quod stolidus stolido solet ore popellus  
Exprimere, hos sueta voce ferendo sonos.  
Interdum abstersis nebulis nymboq̄ fugato,  
Rex superùm placido suevit adesse polo.  
Ecquid & hoc in te Sponse ornatissime, nunquid  
Nobis exemplo hoc arguis ipse tuo?  
Nubila namq̄, tuas fuscantur hætenus ædes,  
Quæ modo purpureis Cynthia pellit oculis.

Dum

Dum sociam Thalami primam Rex magnus olympi  
 Ex mundi sede ad cœlica regna tulit.  
 Cui pietas, probitas, cui virtus tinxerat ora,  
 Quæ dedit & casti pignora bina tori.  
 Quis neget his nebulis, nigra hac caligine mentem  
 Turbatam, & luctu hoc viscera morfa gravi.  
 Sed te solivagum respexit dextera IOVÆ  
 Munifica, (haud quæ ultra posse probare solet)  
 Et tibi depulsis nebulis, luctuq; fugato  
 Iam placido affulgens æthere mitis adest.  
 Dum renovat thalamum sociæ lepida atq; venusta,  
 Quæ curas mentis cordoliumq; levet.  
 Cui simul & pietas, probitas atq; aurea virtus  
 Curæ, quæ vernis anteferenda rosis.  
 Gratulor ergo tibi. Sed quo te munere donem?  
 Moris enim est præsci, nec ratione caret.  
 O mihi si Hesperidum sint aurea mala Sororum,  
 Amphitryoniadæ rite revulsa manu.  
 Aut mihi Numidij modius suavissime Amice,  
 Extemplo optatum quod cuperes caperes.  
 Sed mihi vis nulla est horum: ergo hæc paucula profero  
 Temporis vt ratio consule quæso boni,  
 Interea unanimes phœnicum vincite secla  
 Nec vestrum infestent litigia vlla torum.  
 Sed tibi quod placet id placeat tibi fœdere iunctæ,  
 Quod nolis nolit, quod velit illa velis.  
 Hoc loquor ex animo, namq; hoc honor iste novellus  
 Postulat, hoc lætus vive valeq; diu.

Anno 95. 26. Maij.

M. Mat-



M. MATTHIÆ PAISENIO  
Ecclesiastæ Gryphsw. &  
MARGARITÆ SCHACHTS

PALLAS PAISENIVM ad cycniferas aquas  
Varni dum volitantem ex patrijs focis

Vidit, proluat ora ut

Lymphis Thespiadum, hæc ait:

Subtristis tu equidem, ab deliciis meum

MATTHIA patrios deseris hic lares,

Visens clara ROSETA

Fati nescius ast tui.

Æquom esset nivei ut viscera pectoris

Exultent, animiq; intima gestiant:

Hoc ex tempore famæ

Pennam percelebris geres.

Obscurus latitasti hæctenus hic satis

Claresces age nunc Hesperijs focis,

Indelebile nomen

Virtus & Charites dabunt.

Calles quæis studijs, quæisq; laboribus

Nostris à teneris deditus hortulis,

Quo fervore recessus

Nostros tu penetraveris?

Non obscuro equidem hoc (crede) silentio

Involvenda mihi: Ergo hinc tibi gloria,

Famam hinc nominis amplam

Reddent Varniades tibi.

Postquam

Postquam hæc protulerat purpureis oculis  
Pallas : tum subito his hæc Venus addidit.

PAISENI quoq; Virtus

Et vitæ integritas mihi

Explorata ( mei pectoris ô nitor ):

Ergo illi egregiam, tum roseam & piam,

Tum præstante puellam

Forma & muneribus dabo.

Pulcram MARGARIDEN Schachtiadum satam

Claro stemmate, huic ( Euphrasiam auream )

Iungam numine dextro,

Mense participem ac tori.

Quisnam te neget ab sydere prospero

MATTHIA genitum ? quis placido Iovem

Affulsisseq; vultu

In cunis tibi perneget ?

O lux plausibilis quâ Roseas Deas

Iuvit PAISENIVM visere ! at ut sis

Omni ex parte beatus

Tandem Gratia & hæc refert.

Tantis aucte bonis optime PAISENI

Priscæ & me memorem jam fidei decet,

Hinc ex fronde revulsam

Daphnes sponse corollulam

Textam roscidulis hanc cape floribus,

Cingat MARGARIDIS PAISENII & comas,

Donecq; illa virebit,

LECTI gaudia florent.

Macte



Macte hoc Aonidum munere splendido  
P AISENI. Hunc torulum sacra hilaret precor  
Myrtus, florida laurusq;  
His votis faveat TRIAS.

Anno 95. 18. Iunij.

ΗΧΩ ΣΥΤΧΑΡΙΣΤΙΚΗ.

Nuptijs

BALTHASARI MASQVEDELI  
SS. Theol. Doct. Concionatoris  
Reginæ Daniæ. &  
MARGARITÆ BVNSOVIÆ

**B**arbiton hoc querulum nostin' formosula Nympha  
Quid velit, aut quidnam nabla sonora? E. Toral.  
A mne tori sibi quis soci A m adiuncturus honestam,  
Candida ut huic figat oscula Nais? Ais.  
L egitimam hanc causam R eris penetrabilis Echo,  
Velle subire tori vincla sacrata? Rata.  
T u memora paucis mi i G itur quo stemmate Creti,  
Pleclara numnam dic age Matre? Patre.  
A sponso idcirco quæd A m memorare novello  
Incipito, & multa laude veberis: Erit.  
S atne Aganyppæis cla R us censetur in arvis,  
Satne hunc Thespiades excoluere? Merè.  
A t q; Pericleo (stuvij Instar) ferre lepore  
Dulcisono callet verba perita? Cita.  
R arum equidem dix T i Sponsum; iam nunc mihi  
De sponsa enumeres voce loquace: Tace. (quædam  
C Maxima

*Maxima quæis hominum pars gaudet, moribus illa*  
*Estne ornata satis, culta, polita? Et ita.*  
*Ab quantum decus, hoc Virtutibus anne tenidet?*  
*Num comis, facilis, num generosa? Rosa.*  
*Sanè ea præclaro f V lrumq̄, ac fida columna*  
*Fidum erit, ah Sponso Sponfa sūavis; Avis.*  
*QVE m precor his simil E m reris cui rist ocellis*  
*Vel mage candidulis diya Erycina? Sine.*  
*Dum lepidæ fruitur Spo N sus dulcissimæ amicæ*  
*Suaviolis, jungens pectora fida: Fide.*  
*Egregijq̄, Viri fruitur Dum Sponfa venustis*  
*Alloquijs, jungens pectora fida: Fide.*  
*Laude igitur digni jung It quos nescia fraudis*  
*Virtus: ó casta hæc Laodomia! Pia.*  
*I dcirco his merito spo N sis vaga Nympha novellis*  
*Carmen dulce canas ceu Philomela: Melo.*  
*Vt vegeti unanimes Gr Ineæ tempora vatis*  
*Vincant, ac Pylj secla beata: Cata.*  
*Sic erit inceptum f Austum, solidèq̄ beatum,*  
*Nec rumpi potis est crede jugale: Vale.*

Anno 95. ii. Sept.



ANDREÆ



ANDREÆ CATONI

Sponso.

ANDREAS CATO

Average.

DAT SANÆ COR.

**Q**uid tibi cum Corde? Andrea cui das quoq; corclumē  
Sponsa tuin' cordis particulam abripiet?  
Fama meas etenim gratissima venit ad aures  
Scansurum sacri, te sacra fulcra tori.  
Fallorne? an verum? vera & certissima fama est  
Sponsa mea hanc, faris, particulam abripiet.  
Huic desponsata est cordis pars maxima nostri,  
ANNA mea hanc, addis, particulam abripies.  
Huic igitur SANVS SANÆ da CORcula SANA,  
SANVS & hac SANA vive valeq; diu.

Iocus ad diem quo eadem  
nuptiæ celebratæ.

**A**nseribus solita est gens Martinalia multis  
Teutonica, & multo concelebrare mero.  
Tu quotnam anseribus festa hæc celebrabis amice  
ANDREA, & quoties limpida vina bibes?  
Nam tibi præ reliquis sunt Martinalia agenda,  
Dum tibi in amplexus bella puella venit.  
Dum tibi in amplexus Martini luce puella  
Se ingerit, an tibi lux gratior esse queat?

C 2

Hæc

*Hæc decies anno tibi Martinalia agenda,  
Proles & adijciet tum Venus alma decus.*

Anno 95.

VVILHELMO MEIDINGIO  
Civi Lubecensi primario, &  
CATHARINÆ GRANSINIÆ.

*Nomina Sponsorum per Anagrammatismum con-  
iuncta, ac adiecto M. versu Hexametro  
comprehensa.*

VIRGINIS ILLE SINVS GNAVA AH MEDICINA  
MARITVM.

**M**EIDINGI Aonidum decus ac laus maxima Cyn-  
Mel Charitum, ac cætus fautor Apollinei. (thi  
Tun' cæcæ Divæ cæco quodam impete ferri  
Terricolum eventus, consilia atq; putes?  
Nec vigili statuas IOVÆ prudentia homullum,  
Ast lubrica tantum res ratione geri?  
Nequaquam Ardavidum decor ó VVilhelme sacrarum,  
Haud etenim inceptis convenit arbitrium.  
Ast certa quadam norma, ac ratione retrusa,  
Terricolum eventus factaq; resq; geri.  
Et mirâ in terris imperscrutabili & altâ,  
Arguis exemplo Sponse novelle tuo.  
Mi meditantem etenim gamica hæc dum carmina fingo  
Incidit hoc, omen nomini inesse solet.  
Quadam igitur tacita expendens hæc nomina cura,  
Omen profilijt sed populare nimis.

De mul-



De multis galeis, de mercatoreq̄, tandem,  
 De conductore, aſt nullius hæc precij.  
 Interea illa meam ſubiſt ſententia mentem,  
 Iungere Sponſorum nomina bina ſimul.  
 Miſcere, atq̄, modis varijs expendere, num quæ  
 Elici ab his poſſent omina nominibus.  
 Incipio: extemploq̄, mihi ſeſe obtulit omen  
 Verſu compréndens nomina bina ſimul.  
 Nomina bina ſimul Sponſorum, aſt uno appoſto  
 M, Licet & verſus non bene comptus eat.  
 VIRGINIS ILLE SINUM memorat MEDICAMINA multa  
 Præbere, & mæſtis gaudia multa VIRIS.  
 Non ea perbellè inceptis Neonympe novellis  
 Conveniunt? an non nomen in omen abit?  
 Namq̄, SINVS cuius MEDICINA futura MARITUM  
 GNAYA ea? GRANſiniæ gaudia fertne ſinus.  
 Optime ais, verè hæc pellet mi è pectore curas  
 Cordiyoras, ægri grata medela animi.  
 Millibus è multis CATHARINULA dulcis, avitaq̄,  
 Hæc placet, hæc animi luxq̄, leporq̄, mei.  
 I nunc incertâ affirmans ratione vagari  
 Terricolum eventus factaq̄, reſq̄, geri.  
 O mirum, ô niveo lux hæc ſignanda lapillo,  
 Qua petit amplexus tanta puella tuos.  
 Gratulor idcirco, MEDICINAQ̄, GNAYA MARITUM,  
 VIRGINIS ILLE SINUS floreat, usq̄, precor.  
 Veſtrum coniugium felici numinis aura  
 Inceptum concors ſit, placidum atq̄, vigenſ.

Sic erit

Sic erit ut Phæbo redeunte V Vilhelmulus alter,  
Lufitet ante patrem ac tinniat ore levi.  
Hæc tibi ut eveniant Neonymphe V Vilhelme precabor,  
Gransiniaq; tuæ his plaudat ovetq; Venus.

Anno XCV. F.

BALTHASARO GVLIO  
Patritio Rostochiensis. &  
ANNÆ GROTEN.

**D**Vm sacra coniugij gliscis conscendere tempe,  
BALthasare, ac properent sacra Marita tibi,  
Nonne tuis captis precer omnia fausta novellis,  
Ut thalami capias gaudia mille sacri?  
Vinula namq; tuis & florida virgo lacertis  
Se innectit, mentis luxq; decusq; tuæ.  
Ergo tibi ut cedant cuncta ex sententiâ idipsum  
Comprecor, ac casto candida quæq; toro.  
Iurgia, disidium, livor, formido, simultas,  
Disileant, fugiat, exulet, absit, eat.  
Bastia, simplicitas, eutechnia, candor, amorq;  
Succrescant, vigeat, floreat, adsit, ovet.

EISDEM.

BALTASARVS GVLIVS

Avæq;.

Labia, lusus gratus.

**Q**Væ tibi cum labijs G V L I res optime? Quemnam,  
Quem memorat LVSVM nominis omen habet?  
Num



Num tibi Cyprigenæ Matris fors castra adeunda,  
 Aut grave certamen gymnicum? hui insolitum!  
 Gymnica non Martis mihi sunt adeunda caballo,  
 Gymnica sed Veneris castra suavis, ais.  
 Nam mihi certandum est Labijs pro more puellæ  
 Eximie: hic LVSVS pol mihi gratus erit.  
 Sive genas palpem roseas, seu labra venusta,  
 Seu iam mammillas, pol mihi gratus erit.  
 Sis igitur felix lusu hoc: Sic LVDITO post ut,  
 LVSITET in matris GVLIVLVsq; sinu.

ANNA GROTEN

Avæg.

En! Non Grata?

**C**ui lepidam astripotens jungit, formaq; venustam,  
 Cui gracilem, ac tenero corpore dulciculam.  
 Cui roseam, aureolis fulgentem ut sydera ocellis,  
 Cui sociam comptam, is pectore totus ovet.  
 Cui gratam, ad nutum novit vibrare Mariti  
 Lumina quæ, alloquio dein recreare pio.  
 Cui qua participet lacrymas ac gaudia mixtim,  
 Coniungit sociam, is pectore letus ovet.  
 Subfilias igitur GVLI neconymphe modestè,  
 EN! NON GRATA satis Nympha futura tua est?  
 Et rosea, & lepidam, & grata est, & comtula virgo,  
 Sis itaq; huic GRATVS, GRATA erit illa iterum.

Anno 96. 9. Aug.

C 4

Dn. HEN-

Dn. HENRICO PAULI Artis Me-  
dicæ Doctori & Profess. in Acad.  
Rhodop. dignifs. &  
CATHARINÆ PAPKENIÆ.

Sophum sacros per hortulos  
Nuper meantem atq; anxie  
Præponderantem quæis modis  
Fidei suæ juvenes datos,  
Quæis ardor est Machaonis  
In artibus clarescere  
Poliat, juvet, doceatq; eos  
HENRICVM in hoc Roseo, decus;  
PAULI Lyceo, splendidum  
Amplumq; , ocellulis Venus  
Vidit satis venustulis,  
Secumq; telifero suo  
Nato has loquelas incipit.  
Nostine PAVLI ADEM virum  
Bonum, piumq; , industrium,  
Nostin' Cupido HENRICVM, age &  
Cui laureâ nuper caput  
Cinxere ter tria Numina  
Parnassi, ob artium quibus,  
Præstantiam, politus est.  
Sudore quemq; , adhuc juvat  
Sororculum sequi lares,  
Quos Aonis fons detinet,  
Ut Cynthij cum Cynthiæ

Mutare



91  
Mutare tempus tempore,  
Non ambigat laboribus  
Multis, vigilijsq; arduis.  
Et qui tori sine compare  
Rosei juventam floridam  
Docuit Lycei; & maxima  
Solut fide haecenus bonis  
Certe imbuit suavibus,  
Et litteris & artibus,  
Studio, labore, industria.  
Is sacra nostra negligit,  
Is jura nostra rejicit,  
Is tela nostra respuit,  
Tantoq; solus tempore  
Vixit, tori sociam bonam  
Non ambiens nec postulans:  
Cum, quæ solent ignes meos  
Accendere, aptitudines,  
Amenitates, & locos  
Subindè apricos incolat.  
Nunquam tamen tori memor  
Iugalis, illa Cypridos  
Voto usitato numina  
Ritè invocare discipit.  
Heliconis illa numina  
Tria ter satis votis vocat,  
Atq; indies Charitum sacram  
Triaden colitq; & supplicat.  
At sacra nostra nil facit,

Nil curat, optat, aut colit.  
Nil iura cyprigenæ Deæ,  
Nil tela letiferi Dei  
Cupidinis facit, timet.  
Numne hæc Amorum ego feram  
Quæ Mater? Et qui Filius  
Numne hæc feres Fili? negas.  
Quare cupido ad hortulum  
Tete illius confer citò  
Liris politum hinc indiç,  
Et flosculis comantibus,  
Et frondibus vernantibus,  
Et surculis virentibus,  
Cultu & decore splendido:  
Quo suevit aptè avellere  
Thymi virentis surculos,  
Quo suevit aptè avellere  
Lavandulæq; flosculos,  
Quo suevit aptè avellere  
Fronde Amarici manu,  
Quæ grata nostris & bona  
Cultoribus solent dare.  
Hos dum revellit impiger,  
Dum colligit texitq; dum  
Sertum manu beneolens citat;  
Tu cautus Euphraseam insere,  
Bulbumq; candidum, simulq;  
Amaranthi, & hinc Boraginæ

Fronde



Fronde virentis inijce.  
Que cum ligavit optime,  
Iustoq, cum posuit modo,  
Te cum tuis telis ei  
Serto decenter implica,  
Tinctum colore luteo.  
Dein applicarit naribus  
Sertum virens vbi, tuos  
Ignes odoresq, aureos  
Effunde, qua penetrent statim  
Mentem, hæreantq, fortiter.  
Et spicula profer subdolis  
Pertunde, fige costulas;  
Latebris tuos vultus dein  
Absconde, & an transfoderis  
Fibras tenelli corculi  
Bellè annota, ac refer mihi  
Qua verba læsus proferat.

Edicta Matris efficit

Cupido, Matri & hæc ait :

Res cecidit Mater probe :

Ipsissimum corcli sinum

Transfodi, & intimas fibras.

Ipsusq, sensili satis

Motu obstupescens, hæc ait.

Quid? Quisnam odor? Qui surculi?

Qua tela qua iam sentio?

Ecquidne Cypridos simul

Herbas

Herbas revulsi lucidas?  
Fallorne an illius quoq;  
Telis, ut hasce stirpitus,  
Ictus, revulsi, acerrimis?  
Hui cerebri quis calor!  
Hui lateris & quis dolor!  
O mî medelam porrigat  
Ignesq; sopiat artifex  
Clarus medendi, ac hos levet  
Per ima, amoriferos, ruunt  
Qui membra, hui nimium effluos!  
O mî medelam porrigat  
Vulnusq; sanet artifex  
Clarus medendi & hoc levet  
Malum per imi pectoris  
Fibras means! o horridum.  
Has ut loquelas audije  
Hirquis Cupidinem Venus,  
Mitrata limis aspicit  
Gnydium, ferens hæc insuper.

I nunc camænas invoca,  
I nunc & adfer Cynthium,  
I nunc Galenum consule,  
I nunc sacras Charites voca,  
I nunc ut ustulantibus  
Ferant opem coloribus,  
I nunc hiulci ut vulneris  
Sordes luant lymphis suis,

Dofin



Dofin precor dic præparent  
Igenes fugantem omnicromos,  
Dofin precor dic præparent  
Vulnus trahentem sordidum.

Sed vix Galeni pharmacis  
Lenitur hic ignis furens.  
Ipse Æsculapius licet  
Ferat manu vrceolum sacro  
Potu refertum; Et haud tamen  
Tantum valebit vt meis  
Spiclis mederi vulneri  
Fixo queat, nec ignibus.  
Solutus Cupido que facit  
Sanat vicissim vulnera.

Ergo Cupido & huic tuis  
Inflicta spiclis vulnera  
Sana, medere, subleua.  
En Doctor indies petit  
Forum, domosq; visitat  
Queis civitati pharmaca  
Roseæ exhibentur optima:  
Hæc dum petit, quo vulneris  
Malum in liquore subleuet  
Sanabili: Tu bellulam  
Nympham foras educito,  
Nympham tenellam & optimam,  
Quam dum intuetur anxius,  
Sui & levamen pectoris

Agnoscit

Agnoscit, & venustulis  
Labris medelam postulat:  
Hæc, hæc tua est fari incipe  
Doctor celebris, hæc tua est,  
Hæc hæc tuis ardoribus  
Lenimen optimum feret,  
Hæc hæc tuis doloribus  
Levamen optimum dabit;  
Frustra petis salubribus  
Referta tecta pharmacis:  
PAPKENIÆ petas domum,  
Hæc offeret statim auferens,  
Certissimumq; pharmacum,  
Salubriusq; pharmacum,  
Præstantiusq; pharmacum.  
Nam Nymphula istic splendida  
Latitat, CATRINULA aurea,  
Roseis decora gemmulis,  
Oculis decora blandulis,  
Labijs decora comtulis,  
Suauitate vivida,  
Serenitate candida,  
Et castitate nobili.  
Hæc tacta sponte discutit,  
Ignes doloresq; asperos.  
Cape hanc medelam vulneris  
Fatur carens oculis puer,  
Et Cypriæ lætus diu hoc

Fruiscere



*Fruiscere amplo munere.*

*Dixit, recondens se ilicō.*

*O te beatum Cypridos*

**HENRICI PAVLI hoc entheo**

*Quis non canat te munere ?*

*Felicitatis intimis*

*Quis te locatum in ædibus*

*Negaret ? ô res aurea !*

*Macte hac tua beatula*

*Socia tori Sponse optime,*

*Macte hoc tuo suavissimo*

*Socio tori Sponsa optima.*

*Hæc allocutionibus*

*Pijs levare pectora,*

*Hæc bastorum copia*

*Beare mentes Coniugum*

*Hæc fronte miti & rosida,*

*Cordipremos callet probe*

*Luctus fugare ac pellere.*

*Gaude ergo tali munere*

*Sponse ô celebris, entheo.*

*Gaudeq; tali munere*

*Sponsa ô suavis entheo.*

*Hic allocutionibus*

*Doctis, levare coniugis,*

*Hic bastorum copia*

*Recreare mentem coniugis,*

*Hic fronte clara ac lucida,*

*Carac;*

Caroq̄ cordolio potest  
Doctus mederi Conjugis.

Sed his silendum nox monet  
Salium satis superflue.  
Vestrum ergo Faustitas torum  
Sponsi novelli sospitet ;  
Vestrum capiat Eutecnia,  
Vestrumq̄ lectulum beet  
Hygieia , ut illam Nestora :  
Canopeum pax præbeat  
ATES fugans culices vagos

Anno 96 mens. VIIIb.

M. EILARDO LVBINO ACADE-  
miæ Rosæ Poet. profefs. celeb. &  
GERTRVDI PANCALOVIAE.

HÆC LVBINE , decus Pieridum, tibi  
Lux signanda notis aureolis venit.  
Lux signanda notis , quâ modo postibus  
Cupressos abigunt , floribus aureis,  
Decerpfit Veneris quos paphiæ manus  
Myrti è floridulo torpore surculi.  
Neptuni haud siquidem fluctibus obruta  
Semper cærulea ; nec nubibus hispidos  
Dimanare in agros sit solitus vapor.  
Interdum ast gracili Cynthius aurulâ  
Quod fulgens madidum restituat solum.  
Non urxisti etenim flebilibus modis,

Nuper



Nuper quam tremulis abripuere oculis  
Parcæ PANCLOVIAM virginem amabilem ?  
Vrsistin' gemitu ac mæstitia gravi  
Abreptam in viridis flore iuventæ cam ;  
Affinis tibi quæ grata futura erat.  
Verum ne doleas plus nimio, memor  
Dulcis PANCLOVIÆ, neu miserabiles  
Effundas elegos : En tibi Iuppiter  
Rupit tristitiæ tempora luridæ,  
Reddens lætitiæ tempora floridæ.  
Dum castam Thalamo Rex superum tibi  
Coniungit sociam PANCLOVIAM, auream  
GERTV DEN, roseam, dulciloquam : Patre  
Prognatam celebri, cui Themidos sacra  
In campis Roseis, iura statutaq;  
Curæ, & quæis juvenes imbuit optimè  
Qui curant Themidos docta volumina.

O felix igitur cui modo jungitur  
Tam LVBINE decens Fæmina ! Patre tam  
Præclaro, celebri, Matreq; tam pia !  
Iam dædalmata si Parrhasij sient  
Cælo sculpta mihi, aut Phidiaca manus  
Extemplo aureolas, munus, amysides  
Promptus vel phialas, vel cyathos darem.

Sed cum non dederit, Diva carens oculis  
Quæ mitto placidâ sume manu precor.

Non si, quæ tenuit Dives Achæmenes,  
Quis donare velit, Mygdoniasve opes

D

Hæc

Hac nupta careas per spacium breve.  
 Vt fragrantia enim torquet ad oscula  
 Cervicem! utq; sibi basia figier  
 Exoptat! tenerum dein movet vt latus!  
 O felix iterum cui modo iungitur  
 Tam LVBINE decens fœmina! Patre tam  
 Præclaro, celebri, Matreque, tam pia!  
 Hos ignes igitur casta Venus fove,  
 Hos ignes etiam Diva charis fove,  
 Quo salvi, unanimes, pacifici, dies  
 Cernant Nestoreos; Omine sic bono,  
 Reddet PANCLOVIA his πάντοπ καὶ ἑρ βίον.

Anno 96. 2. Novemb.

*Dialogismus Astræ & Cythereæ de matrimonio*

BERNHARDI QVECI I. V. D.

&

MARGARITÆ BATTIÆ.

Siccine tam temerè, Astræ nunc castra frequentas,  
 Gaudia disturbas quæ modo contuli Amor.

Siccine tam temerè Cythereæ nunc castra frequentas, C.

Fœdera disturbas quæ modo cæperam, Amor?

Quid tibi cum QVECO? tua quidnam fœdera profunt? A.

Cinxi illi Daphnes fronde vivente comas.

Quid tibi cum QVECO? tua quidnam gaudia profunt? C.

Nunc Myrti baccis rite venusto comas.

Fasne viro tribuit nuper CAMERARIVS ille A.

Quem cyclum, fuget ut pronubus ille tuus?

Fasne



*Fasne Viro quem promisit quoq; dextra CHITRÆI, C.*  
*Præveniat cyclum splendidus ille tuus?*  
*Obtuli ob ingenij dotes studiumq; fidele, A.*  
*Laureolam, ob nifus præmia digna graves.*  
*Offeram ei ob niveum pectus Nymphamq; decoram C.*  
*Lacteolamq;, petat qui sacra fulcra Tori.*  
*Sed tua vix pellent Astrææ fœdera Matris A.*  
*Gaudia, nec poterit longa abolere dies.*  
*Nec tua dispellent Cythereæ gaudia Matris C.*  
*Fœdera, nec poterit, longa abolere dies.*  
*Ergo tibi Themidos quam misit dextera QVECE, A.*  
*Laureole textæ te meminisse decet.*  
*Et tibi quam tribuit Veneris frons lucida QVECE, C.*  
*Lacteolæ Nymphæ te meminisse decet.*  
*Nam mihi Doctorum titulo insignire celebri A.*  
*Perplacuit, quare huic candida quæq; precor.*  
*Meq; Maritorum numero inmiscere decoro C.*  
*Collibuit, quare huic candida quæq; precor.*  
*Sit quodcunq; volet, meus es clarissime Doctor, A.*  
*Acceptum & referes mi quod Honoris habes.*  
*Sit quodcunq; volet, meus es dignissime Sponse, C.*  
*Acceptum & referes mi quod Amoris habes.*  
*Appage sis, satis hic rixarum diva Cytheris, A.*  
*Est Themidos cultor nocte dieq; vigil.*  
*Appage tu quoq; sis rixis ASTRÆA protervis, C.*  
*Est Veneris cultor nocte, die Themidos.*  
*Comprimo me, ex imis cordis penetrabilibus optans, A.*  
*Nestoris ut vegetus secla videre queat.*

D 2

Me

*Me quoq; disparili exornans nec tempora voto,  
Comprecor huic multa fertilitate torum.*

Anno 96. 27. Sept.

Nuptijs IOANNIS RVNGII &  
HELENÆ BRVGEN.

*Αγαγεαμ. ex nom. Sponsi.*

Surgo: Veni annis.

Rogans Venus? ini.

Angor. Veni finus.

**C**ui non Cyprigenæ licito penetralia cordis  
Æstu inflammentur, qualia membra putes?  
Non stolidæ & stulta ariduloq; simillima trunco,  
Cui vigor ac sensus gratia nulla subest.  
Bellè itaq; illorum quibus haud quid cælibe vita  
Carius, ut stultum reijcis arbitrium.  
Nec non illorum furtiva cubilia tantum  
I ANE quibus curæ, ac facta pudenda tori.  
Dum tibimet thalamo, multa virtute nitentem  
Iungi HELENEN flagras sponse modeste tuo.  
SVRGO ais: ergo VENI plenis iam nubilibus ANNIS,  
Dulcis amica veni, lux mea quæso veni.  
Forte ROGANS quidnam velit hoc quod surgere coner?  
In tua mi libuit mittere colla manus.  
O VENVS! ô Veneris facies formosa pudicæ!  
Num cessas? mecum fædus amoris INI.  
Fædus amoris INI, carpe oscula, carpta vicissim  
Conduplica, os oriq; insere, prome iocos.

*Carpe*



*Carpe columbatim humidulis bella oscula labellis,  
Aurea quæso Helene fædus amoris INI.  
ANGOR enim: & placidis tua dum contemplor ocellis  
Lumina, mens salit, ac intima cordis ovant.  
Ergo VENI percare SINVS, sere gaudia mentis,  
Effice quæ Sponsus sponsa modesta petit.  
Sic Helene ut Paridi mihi sic eris unica flamma,  
Lux mea, delictum, flos meus, una salus.  
His ANNIS igitur felix, hoc fædere Amoris  
Sospes, & hocce Sinu IANE valens frueri.*

Anno 97. X. Ian.

M. MARTINO BRASCHIO ACADEM. ROSARUM LOG. PROF. EXIMIO, AC DOROTHEÆ BADENIÆ.

**F**orsan Amoriparæ Matris propè flumina Varni,  
Palantem ut vidit Cynthius aligerum;  
Inquit ei, quorsum remeas, trahè tegmina ocellis,  
Nostin' quem Varni torta fluentia ferant?  
Nostin' BRASCHIADEN, generosa mente Poctam?  
Excute iam pharetram, iam pete, fnde latus.  
Nec mora, profluens monitis obtemperat, atq,  
Flammifera hæc BRASCHI spicula habe Amoris ait.  
BRASCHIVS extemplo callens quæ vulnera, dixit,  
Non tu hunc Varne æstum, ast culte Scamandre levas.  
Ergo tori sociam socij, ô quam bellulam amicam!  
Vulneribus fixis pharmacon applicuit.

D 3

DORO-

ROrotheam moridi medicam :o lepidam! illa Scamandræ  
Digna lacu, hanc tu uras te urit ut illa. VAL E.

Anno 97. 26. Ian.

Corculum cum Ænigmatibus  
hic adfigendum.

\* \* \* \* \*

IOACHIMO NEOCLAIO  
SS. LL. Candidato &  
ANNÆ GRVNDES.

Pectine amoriparam Matrem qui pinxit eburno,  
Chryscomamq̄, rei haud nescius ille fuit.  
Namq̄, procūm mage quæ titillant pectora, compti  
Quam crines, oculi blanduli, odora manus.  
Quæ mage, quam niveos teneræ aspectare lacertos  
Virginis, ac frontem, labra rubella, genas?  
Quæ mage, turgidulas quam contrectare mamillas,  
Quæ mage, quam roseis corda beare genis?  
Hæc quantum valeant Divæ ornamenta iocosa,  
Expertus Rosei lux IOACHIME soli.  
Dum sentis Veneris flammæ, quæ pectine nuper  
Compta, tuum ardenti transijt igne latus.  
GRVNDIA lux animi illa tui, corclum, atq̄, voluptas  
Illa tuum ignifero cinxit amore iecur.  
Quæ cupit atq̄, urit te, exoptat, anhelat, ovatq̄,  
Tete ut delictum suspicit omne suum.

Erge



Ergo tuos celeri vnguiculos nunc impete cessas,  
 In Sponsæ aureolum mittere Sponse sinum?  
 Corripe quæso gradum, carpe oscula, basia fige  
 Blandisona, atq; tori limina casta subi.  
 Hæc est propter quam tot suspiratibus æthra  
 Implesti, illa animi flamma vigorq; tui.  
 Gaude sorte tua sponse ornatissime, gaude,  
 En iungit se ulnis Sponsa tenella tuis.  
 Tu quoq; comparili læteris munere Sponsa,  
 Nacta virum eximij dotibus ingenij.  
 Ignibus his igitur, non candida queq; novellis  
 Apprecer? hos serves pronuba Diua diu.  
 Tu Sponsus Sponsæ Admetus, tu Alcestis amica.  
 Sponsula sis Sponso, & sic bona cuncta aderunt.  
 Hæc cecini, atq; utinam meliora tibi optime Sponse,  
 Sed scis quæ obstiterint, consule missa boni.

Anno 97. 27. Aug-

HERMANNO LEMMICHIO

Civi urbis ROST. primario, &

ELIS ABETHÆ LVSCOVIAE.

*Hermannus Lemmichius, Elisabetha Luscorvia.*

ἀναγκαῖα καὶ ἰσχύμ.

Ab hac mea Salus: Leniet hic Sinus Virum: o mel!

**M**ollis apud Sophoclem querimonia virginis extat,  
 Edentis tales voce gemente sonos.

A 4

*Quidnam*

Quidnam ait, ah misera nimium : quid queso puellæ  
 Nos sumus ? aut quam conditione satæ ?  
 Dum teneræ ætatis nos ver peramabile nutrit,  
 Sanguine ferventi dumq; iuventa procul ;  
 Quæis tum blanditijs ævum cum Matre venuste  
 Transigimus ! Quam tunc vita suavis adest ?  
 Ast ubi pubertas pedetentim irrepserit, oculis  
 Grata proclm, Idaliæ tempora grata Deæ,  
 Ilicet ambimur, miserè divendimur, à Diis  
 Pellimur heu patrijs, pellimur ecce foras.  
 Iungimur interdum obscuris natalibus ortis,  
 Gaudia ob unius concubij atq; iocos.  
 Præstaretne itaq; innuptam, solamq; manere,  
 Virgineis Vestæ membra sacrando choris ?  
 Hæc ea : sed quantum his tribuendum, biblica, dictis  
 Dogmata præ reliquis rite notanda, docent.  
 Sacra relinquendos censent oracla Parentes,  
 Vnico adhærendum compari & esse tori.  
 Tum quoq; connubij sacra & illibata colenda  
 Fædera, ut humanum stet vigeatq; genus.  
 Hæc vos calletis Sponsûm ô par nobile, amica  
 Quos Erycina modo fecit amore pares.  
 Te bellè ergo ligant uxoria vincla Maritum,  
 Et tibi Nympha placent sacra marita probè.  
 Estis Amore pares, & honore, insignibus orti  
 Stematibus ; celebris lumina quanta ROSÆ !  
 Consule namq; satus Patre tu Neonymphe perito,  
 Iuris at eximio Antistite Sponsa nites.

Quare



*Quare apprehende novam letus Neonymphe virisam,  
 Amplexare tuam, hæc paucula verba iterans.  
 Dulcis ELISA SALVS MEA; blandiloquentula AB HAC  
 Vita venit, mea res, & mihi amica SALVS. (mê  
 Hæcce eiusq; SINVS, mihi LENIET ossa perosa  
 Cordolijs, animiq; anxietate gravi.  
 Hicce VIRVM SINVS, & gratæ hæcce mea oscula puellæ  
 Elysiæ, ærumnas ad vada torta abigent.  
 O MEL! pars animæ nostræ ô mellitula virgo,  
 Nostri ô præsidium, luxq; decorq; animi.  
 Quarta parte alias Veneris, iam ut parte fruisca,  
 Quinta opus, ô noctis grate Susurre veni.  
 Tu thalami fautrix flammis his adijce flammæ,  
 Vnanimi unanimes daq; vigere thoro.*

Anno 97. 8. Nov.

BERNHARDO HANEN  
 Patrio Rostochiensis &  
 ELISABETHÆ CLINGIÆ,

V. CL. D.

BARTHOLOMÆO CLINGIO

I. V. D. industrio &c. Sponsæ Parenti.

**T**ristisonum ante melos cecinit tibi nostra Thalia,  
 Defuncti ob soceri multa virtute celebris  
 Interitum, arctoæ CLINGI decus urbis & orbis.  
 Sed nunc letisonum promet tibi, pectine tangens  
 Flexanimo citharam, ob juvenem virtute nitentem  
 Illustri GENERVM, Generum pietate decorum.

D 5

Maçte

Maſte novo hoc igitur G E N E R O clariffime Doctor  
 Maſte novo, cuius circum penetralia candor  
 Temporaq; integritas, mentemq; ars pulcra polivit.  
 Gratulor hinc multum Sponſis ex corde novellis  
 Omnia fauſta, bona, & felicia, cuncta ſecunda.  
 Faxit olympiaca ſedis qui fulmina torquet,  
 Cuncta ut ijs cedant proſpre, ex ſententia, & inde  
 Menſibus exactis, circum tua tempora fuſam  
 Canitiem ut recreent, & Avum te voce tenella  
 Noſcere uti valeant N A T I indolis optima, avite.  
 Hocce novis ſponſis hoc ſponſorumq; Parenti  
 Comprecor, his faveas Thalami ſancitor & auctor.

P. Rutingius.

**B E R E N H A R D O H A N I O**  
 Sponſo, Amico ſuo cariſſ. certiſſimo.

**T**emporis ad ſpaciū breve ſi mihi vena Catullā  
 Dulciſonans, animæ ô pars mediata mea;  
 Quot BERNharde ſacri thalami dum fulcra ſubintrās  
 Et tibi blanditias accinerem, atq; jocos.  
 Idaliæ Matris canerem quot facta jocoſæ,  
 Aligeri & Nati ſpicla quot, atq; dolos.  
 Nam tuus hoc in me meruit candore refertus,  
 Quo mihi Oreſteo cognitus uſq; Animus.  
 Hæc tibi (quicquid id eſt) quæ luſi, mente, proſecta  
 Quali acunq; etiam candida quæq; putā.

Luſi



Lusi alias tecum Veneris quid gaudia portent,  
Ex Lemni scriptis, quæ & nocumenta ferant.  
Nunc abrumpo lubens calamum, cælestia votis  
In tua culpa vocans Numina sancta, meis.  
Accelerate igitur quis vincla jugalia curæ,  
Ferte jocos, risus, ferte salesq; meros,  
Promite cultori suavissima carmina vestro,  
Illius & Nymphæ promite dulce melos.  
Sed comitata suis socijs en Numina dia  
Profliunt, recinunt en tibi Sponse melos.  
Ergo vale coniunx dulci cum conjuge ELIS A,  
BERNHARDE ò Rosei fida columna soli.

### COMVS.

**N**on semper imbres parturiunt Noti,  
Atlantidum nec nymbiferæ faces  
Gyris suis polo coruscant,  
Sed gracilis quoq; flamma Syri.  
Nec regna semper trux Libitina tu  
Tenes severa fronte; sed imperi  
Quædam tibi data est potestas,  
O oculis Erycina bellis.  
Quantum pyropi pumicibus cavis,  
Tantum suavis tu anteferenda ei es,  
O copulatrix alma amorum,  
O Venus aurea lecticustos.  
Sit lacrymarum nunc igitur modus,  
BERNHARDE nostrum delictum, decus,

Queis

Quæ fata percari parentis  
 Prosequeris, CRONIIq; Amici.  
 Iam gaudijs, iam blanditijs, iocis  
 Tempus terendum, iam salibus pijs,  
 Festivitatibusq; gratis,  
 Quare age plaudito Sponse letus.  
 En: Nymphulam nostin' roseam, manus  
 Tinxere cuius, cuius item genas  
 Et labra, frontem, ocellulosq;  
 Mellifluo Charites liquore.  
 ELISABETHAM CLINGIADVM satam  
 Urbis Rosarum è stemmate splendido,  
 Tibi comas soli nitentes  
 Quæ religat modo tam decenter.  
 Nepenthes illudne aureolum, micans  
 Tam pervirenti corpore: ceu solent  
 Lili, Rose, aut Lavandularum  
 Vere novo rutilare flores.  
 Hæc est tui quæ macerat ignibus  
 Cordis medullas, discupiens tori  
 Tecum sacri subire fulcrum,  
 Te cupit, ecce, cupit Maritum,  
 Cessabis ergo, quin celeri manu  
 Pronus prehendas corculum id elegans?  
 Quin inseras tuis lacertis  
 Corculum id, o roseum, nitescens.  
 Dicas huic iam plus vice simplici  
 Meum o levamen dulcis ELISVLA,  
Corclum



Corclum meum, ô spes una, mollis

Mi Euphrasea, ô medicina præsens.

Hunc ergo vestrum comprecor ut torum,

Circumvolent mixtum Pietas, Amor,

Et convenire quo queatis,

Aurea pax volet hinc & inde.

## PASITHEA.

**Q**uotnam PASITHEE canam lepôres,

Quotnam blanditias, facetiasq̃,

Nymphis candidulis, novis, vetustis :

Vt verum fatear decore Sponse,

Sponse Sicelidum medulla, ocelle,

Iungis in thalamum tibi serenam,

Iungis dulciculam, elegantulamq̃,

Iungis blandidulamq̃, vinulamq̃,

Iungis scitulam, & auream Dianam

ELISAM, rosea manu & lacertis,

Vultu sydereo, genis, papillis,

Nive splendidioribus micanti.

Quæ te verè oculis pijs levabit,

Quæ te colloquijs feret serenum,

Quæ te basiolis fovebit aptis,

Quæ te candidulis teget lacertis,

Quæ te suaviolis suis beabit,

O verè ELYSIAM tuam hanc ELISAM :

Nec minus thalamo tuo recondis

O lepor Charitum tenella Sponsa,

Maritum

Maritum ut fatear, pium, pudicum,  
 Maritum juvenem, suavem, amenum,  
 Maritum eximia arte perpolitum,  
 Qui te verè oculis pijs levabit,  
 Qui te colloquijs feret serenum,  
 Qui te basiolis sovebit aptis,  
 Qui te candidulis teget lacertis,  
 Qui te suaviolis suis beabit,  
 Et cum quo liceat leves susurros,  
 Noctis composita tenebricosæ.  
 Hora reppetere: ô beata tæda!  
 Ast quid comprecet his modo: Vigorem  
 Vobis P A S I T H E E precor, Salutem,  
 Favorem Cypridos, lacus Scamandri  
 Aggressum intrepidum, Pylq, menses.  
 Quid maius poterit dari novellis  
 Nuptis? Iam vigeatis ergo Sponsi &  
 Quod centum facerent quidem phaleuci,  
 Id X efficiant quater, VIGETE.

## C V P I D O.

**F**orsan me Genitrix, spicula dum manu  
 Gesto, ut percuterem CLINGIADÆ latus,  
 BERNhardi juvenisq, eximij simul,  
 Hirquis intuita, hæc ait.  
 Quidnam Nate facis? quid? cave spiculum  
 Mittas in teneræ virginis hoc latus,

Mittas



Mittas in iuvenis iam cave corculum,

Tincta hæc spicula toxico.

Nescis quæ ferias : cautius at decet

Telum te tenero immittere corculo.

Ne figas modo quod pœniteat, cave,

Spectes omina nominum.

Iungasne huic HANIO CLINGiaden piam,

Quæ prognata GRVVM stemmate nobili &

Quenam hic nomina perpensita, & ominum

Occurret ratio tibi.

Num GALLO poterit GRVS sociariere?

GRVS est altivolans, GALLus humum petens,

GRVS est pacifica, at GALLVS is erigens

Cristas æthera respicit.

Num disjunctio & hic forte animûm latet

Quæ multum teneris coniugibus nocet,

Nam concordia ijs carior haud datur,

Hæc perpendito Nate mi.

Tantum hæc: Quid genitrix, Natus ait, mea

Ex his dissidium tun fore reberis,

Quos aptissime ego iungere molior?

Ab nunquam genitrix mea.

Nam GRus eximia est splendida itemq; avis,

Tranans æthera uulli mala conferens;

Gallus persimili tecta modo petens

Præstat commoda plurima.

Gallinisq; cibum gutture colligens

Ne milvi noceant, ne abripiant quoq;

Pallas

Pullos summopere hoc ninitur, ac fuget  
Vncos accipitrum pedes.

Quodq; interdum animum attollat, id illius  
Non bilis facit, at pulcra Animositas,  
Robur, visq; animi strenua & ardua,  
Non hoc ficta superbia.

Quin perbelle igitur iungier hos putes,  
Iungit quos generis nobilitas, opes,  
Quos morum gravitas, unanimisq; mens,  
Quos concordia copulat.

Sponsa ELISVLA quæ CLINGIADV M *sat*  
Clara stirpe, velut GRVS avis optima  
Simplex, comptula, mitisq;, domi viro  
Fulcrum ac fida columna sit.

Hæc postquam audierat, concute ait, VENVS  
Figas Nate piæ pectora virginis,  
Transfigasq; simul, ceu modo cæperas  
Exculti iuvenis latus.

Rectè hos connubio iunxeris ô hymen:  
Namq; ætate pares, namq; opibus pares,  
Nam splendore pares, namq; animis pares,  
O quam connubium decens:

Quenam te deceant Sponse novelle scis,  
Et quæ te deceant Sponsa novella scis,  
Osculum, blanditiæ, lectuli item joci  
Mixtim profiliant; *sat est.*

Anno 97. 22. Nov.

CHR.





CHRISTOPHORO abHAGEN I.V.D.  
domum ducenti  
MARGARITAM GEISMERIAM.

**V**T Themis Aoniâ tua cinxerat inclyta Lauro  
Christophore, in studijs tempora culta satis.  
Insimul & cyclis digitos decoraverat aurëis,  
Fulgenti in quorum palâ amethystus erat.  
Hæc Venus : Insigni virtutum laude celebris  
Nonne is præmiolis ritè beetur? ita est.  
Inscia sed facti Themis es ; Nam pro illo Amethysto  
Vnio scintillans substituenda foret.  
Nam latet in terris gracili fulgore coruscans  
Margaris , heu vincens lucem amethyste tuam,  
Margaris illa tori quondam scansura sacrati  
Limina, purpureis illa decora genis !  
Cui Themis : Esto ait : At palis iungantur usdem  
Quid si gemmarum hoc par satis euge decens ?  
Tum Venus applaudens , rutillet, micet , atq; corusces .  
Nobile gemmarum hoc par ait, euge micet.

Anno 98. . F.



E

M. FRAN-

M. FRANCISCO RHODIO

Ecclesiast. Gustrov. &

GERTRVDI PAVLINÆ.

Parodia odes Horatianæ XIII. libri 4.

**A**Udivere RHODI DI tua vota, DI  
Audivere RHODI sis Neonymphus ;  
Cum castaq; puella  
Ladisq; & bibis impiger.  
Et cantu, aut gracili voce cupidinem  
Lentum sollicitas, qui modo floridæ  
Qui nuptæq; virentis  
Pulcris excubat in genis.  
Insperata etenim transvolat arduas  
Quercus, & fugiens ad Rhodium, hæc Venus ;  
Nondum te quia rugæ  
Turpant & capitis nives :  
En perdocte RHODI iam tibi coniugem  
Vincentem lapides auriferi Tagi,  
Claro stemmate cretam  
GERTRVDen roseam dico.  
Quidnam inquit RHODIVS ? quo fugis ô Venus ?  
Quonam ? Tum Venus hæc ; illius illius  
Quæ spirabit amores,  
Oscla ac basia sumito.  
Felix ô nimium ! ô comtula virginum  
Gratarum facies ! Pacificum torum

Sponsis



Sponsis Christe novellis

Des per plurima præpotens,

Cornicis vetulæ tempora comprecor ;

Possint ut sobolem cernere fervidi

Multo non sine risu

Ludentem ante oculos Patris

Anno 98. 29. Maij.

M. REINERO BROCKMANNO  
Pastori Svanensi &  
MARGARITÆ SCHEFTERIÆ.

**S**I trutina expendes finem Neonymphe decenti .  
Quo licet in licitos cuilibet ire toros.  
Nupera vera tua est sententia talia promens,  
Est sine prole domus quod sine sole polus.  
Nempe ex coniugij pullescunt fœdere sancti,  
Germina grata solo, germina grata polo.  
Quæis Ecclesiæ omnipotens viridaria sanctæ  
Plantando ulterius augeat ac decoret.  
Ecquid at incurris, prohibens sacra iura Ministris,  
Clavigeræ papæ iudicium, illa IOVÆ?  
Inquit enim si alias virtutibus omnibus auctus  
Clericus, ac thalami fulcra sacrata subit;  
Impius ille. Carens autem Virtutibus illis  
Coniugium ac spernat, clericus ille bonus.  
Aurea Clavigeri non hæc sententia PAPÆ?  
Verum age quæ tua de his mens Neonymphe sacris

E 2

Nel

Nil moror ista infis ; pluris spiraminis almi  
 Sermo, iubens quemvis vincla subire tori.  
 Præcipiens recolenda sacra hæc, dilectio Christi in  
 Sponsam Ecclesiolam ut clarius hinc homini.  
 Concedens equidem ut casti quibus ora pudoris,  
 Solivagi vivant ; nullibi at illa probat.  
 Sed cum difficile hoc decus imâ mente tenere,  
 Non satius lateri iungere dulce latus ;  
 Sic ais, ac tibi consocias REINERE pudicam  
 MARGARIDEN, pulcram moribus atq; genis.  
 Rectè. Namq; licet gracili tibi coniuge ducta,  
 Vel melius sacris invigilare libris;  
 Lator sorte tua: Sed quæ mysteria subsint,  
 Grammatices verbis quattuor euge vide.  
 Defectiva vocant, quæ qua ratione iugalis,  
 Perpulchrè monstrant, iura ineunda tori.  
 Dicere enim primum est, ceu tu nunc MARGARIS inquis  
 Tu mea Vita mihi, tu Rosa, tu mea lux.  
 Ducere dînde domum decet, & conscendere lecti  
 Fulcra sacri, & molles post agitare iocos.  
 Tum Facere ut pariles concordia, amore, coruscant,  
 Tum Ferre unanimes dextra sinistra simul.  
 Anne hæc conveniunt? si forte iocosius ac fas  
 Dixero, tu verbis omen inesse proba:  
 Ac iam Margariden complectere molliter ulnis,  
 DIC volo, DVC cito, FAC strenua, FER patiens.  
 Hisce vale longum dulci cum coniuge, restat  
 Nunc bonus ut CEREBRUM VISITet hîcce liquor.

Σωτήρι quondam meo πολυγράφῳ F. 3. Nov  
 Anno M. D. IIC.



GREGORIO REIMARI &  
DOROTHEÆ CÆLIÆ.

**S**partanorum veterum decreta valerent,  
Quæ de coniugij tempore lata Viris;  
Effugisse equidem rerer te docte GREGORI  
Multam, quam legi huic imposuere gravem.  
Nam nec sero nimis, cito nec nimis illa iugalis  
Te iuyit thalami vincla subire sacri.  
Perspexere ferat senium quid, quidve inventa,  
Vrbis ad augmentum femina quidve mala.  
Gaude ergo: Utquæ queas concinniter atq; beatè  
Vivere, deturpent noxia nulla domum,

Anno M. D. IC. Feb. 17.

M. IOHANNI CARSTADIO  
&  
ANNÆ SCHALLERS.

**C**vm tua Laureolâ redimiret tempora Phœbus  
Laudibus inscripsi carmina pauca tuis;  
Pauca quidem sed grata tamen: Non argo novellis  
Comprecor his cæptis omnia fausta tuis?  
Dum tibi consortem Thalami Virtute puellam  
Eximia gliscis iungere IANÈ piam.  
Hec à POSSELIO nostro ut mihi fama relata,  
Extemplo placuit fundere metra tibi.  
Metra tuis cæptis benè convenientia sponse  
CARSTADI, patriæ lumen honosq; tuæ.  
Vivito cum dulci vnanimis IANÈ ANNVLÆ, & omen  
Nomini inest Sponse ut Personet alma Charis.

PERSONET alma fides, pax, & concordia vestris  
In laribus, thalamo personet alma fides,  
Anne huic à DIVIS STAS COR ceu nominis omen  
Denonat? aſt cuienam? huic ANNVLÆ? ei fateor.  
Salve ergo multum ac niveis ornato lapillis  
VINCENTI Lucem, vincere te iubet hæc.  
Vincere te iubet hæc, vt te vincire deinceps  
Sponſa queat thalami, nitere pignoribus.

Anno M. D. IC. die Vincentij  
pro ratione temporis effuſum.

M. ANTONIO AVLÆO R.  
In thalami ſociam ſibi adſciſcenti  
ELISAM DETLOVIAM.

**T** Andem ſpes animi credula mutui  
Nunc te AVLÆE iuvat? compede detinens  
Grata in flore iuventa, ac  
Iam DETHLOVIA deperit?  
Sane te Aonium ſlectere mollibus  
Cæpit iam imperijs ELSVLA, lucidum  
Fulgens, pectore, ocellis  
Ceu flos, ceu roſa perpurans.  
Atqui lucifluis plus quater hunc polum  
Percurret radijs Cynthius, antequam  
Me indigitare Maritum  
Poſſis, dicere ne aſſoles?

Quid



Quid factum? celeris cornua Cynthia  
Vix mutata quater bis rutilantia,  
Cum pulcram tibi Nympham  
Iungit Diva Cnidi ac Paphi.


Sed quis cyprigenæ non, uti Pallados,  
Quarum hæc ingenijs illo toro præest,  
Acceptabile munus

Promptè susciperet refers.  
O factum benè! sic Numine dextero  
Oblatam manibus prændere concedet,  
Divam fronte pilosa,  
Post hanc calvitio glabro.

ANTONI ex animo comprecor hunc tibi  
Felicem thalamum, tergeminum DEVM  
Vobis voce laceffens

Ex voto omnia uti cadant.  
Sic pax aureolis, atq; fides comis  
Afflabunt thalamum, nec malè deruent  
De fervore recenti,  
Quicquam dividie graves.

Συγχαίρειν καὶ Φιλοφροσύνῃς Ἐνεκα  
amicis. f. Calend. Sepr. Anno 16.



STEPHANO HOLSTENIO  
&  
ANNÆ BOLDEVVANS.

**S**it, tristitatum turbinibus nigris  
Ceu pinus Euro concutiatur, tamen  
In patriam redux Amici

Lætus epistolium capepsi.

Nam, vera promens, HOLSTENII memor,  
Mutata rebar imula pectoris,

Prisciq, descivisse Amoris  
Glutine plus solito à tenaci.

Cur inquires? Quod longius annuo

Nil litterarum sit spacio datum

Tuis Amicis: At silenti

Causam aliquam modo suspicamur.

Nimirum amicæ basi blandulæ,

Nimirum amores pectoris igneos,

Insubilavit quos medullis

Cinxia cum socijs Diones.

Silentij esset sufficiens quidem

Causa hæc, amandum ni esset amiculos

Ne negligamus: Misione

Quare, opus est tibi crebriori,

Adesse tædis non finitur modo;

Tamen IEHOVAM comprecor ut torum

Vestrum beatitate, nec non

Lætitia stabili secundet.

F. pro pridie, D. Mihaelis Archang,

A. IC.

IACO.



IACOBO CROLLIO  
&  
ELISABETHÆ SCHOMACHERS.

**N**uper ut Andromedes patris æthere fulserat ignis,  
Ac fureret flammis cum procyone, Leo;  
Ut sibi discaveat flammantis ab ore Leonis

CROLLIVS, egreditur vespere prata petens.

Id Cytherea tuens; cernis ne ait optime Nate,

CROLLIVS ut vitet torrida signa Canis?

Aurula latifluos fervens ne insibilet ignes,

Intima quo cordis sauciet aut Veneris.

Callidus atq; sagax nimium! nam pectore flammæ

Concipere edidicit quale sit hicce malum.

At mi Nate, magis quantò tua spicla, tuasq;

Quâ potis est fugiet conditione faces?

Et facit. Hinc etenim humidulis dum Cynthia ocellis

Irrorat, roseos undiq; lustrat agros.

Quare agedum insequere hunc per pascua læta meantem.

Auscultans in agris quæ meditetur ovans.

Ac ubi pileolum capiti detraxerit, auræam

Frigidulo ut recreet flamine cæsariem,

Non secus ornithiæ ut, quâdam dulcedine mentem

Suffunde, atq; ignem insigito amoris oclis.

Re benè transacta exclames, Macte optime CROLLI

Vulneribus Cypridos macte IACOBE novis;

Tun' mihi tun' Cæneus planè impenetrabilis esses,

Quem mea non quatiant spicla, meaq; faces?

I nunc Angliacas sperne, Helveticasq; puellas,

I nunc & Matris temnito tela meæ.

E S

I nunc

**I** nunc torrentis torrentia sydera Sivi  
 Devita, humifero i vespere prata petens.  
**Sic** ait improbulus. Subridens **CROLLIVS** autem  
 Sentio ait Cypridos tela facesq; modo.  
**Sentio** iam flammæ : Ergon' medicamina queram?  
 At medicam medicæ non feret artis opem.  
**Sed** lateri latus apponens quod vulnera fecit,  
 Vulnera vulneribus sunt relevanda mihi.  
**Siccine?** Num Hippocratis Coi hæc sententia? at inquis  
 Sit quæcunq; velit mi hæc Medicina rata est.  
**Credo** equidem. At cave ne nimium tibi colla lacertis  
 Infertur, roseis **ELISABETHA** genis.  
**Sic** tibi quod **GALLI** conaberis optime **CROLLI**,  
**LAVRENTI** effectum lux dabit. Hiscæ **VALE**.

pridie Galli F. Anno IC.

**BALTHASARO HANEN**  
 Patritio Rostoch. &  
**ANNÆ LVSCHOVÆ.**

*Anagrammatismi ex nominibus  
 Sponforum.*

**BALTHASARVS HANE**  
αυαγς.  
**NATVRA SAL HABES.**

**C**æu opus Endromide hirsuta cum nubila cæli  
 Stat facies, pluvijis ac madet omnis ager :



Sic itidem socia thalami Sponse optime reris,  
 Frigus ubi glaciens germine privat agros.  
 Salse equidem: ut fatear liciti si ferret Amoris  
 Flamma, quot effugerent hac ratione gelu!  
 Nam quæ deturpant teneros mage corporis artus,  
 Quam pluvix australes, quam glacialis hyems.  
 Hinc squalor, gravis inde dolor, pavor hinc, rigor illinc,  
 Quæ mera corporibus sunt nocumenta hominum.  
 Pulcre itaq; hæc vitas HANI Neonymphe, puelle  
 Nubilis ut corclum conciliare studes:  
 Molle latus latere, atq; pedem pede, corcula corclis,  
 Legitimo gliscens blanda fovere toro.  
 NATVRA SAL Sponsene HABES? salibusq; iocisq;  
 En tibi conditum pectus amore pari.  
 En tibi LVSCOVIAM gallinule adinstar ovantis,  
 Quæ venit ad nutum Galle animose tuum.  
 Ergo tui cupidam apprehende ac progeneriter alas  
 Concutiens, gracilem quando gracillat adi.

ANNA LVSCHOVINA

αναγγ.

ANNA HANI OCVLVS.

Omnis amās quantis miser æthera questibus implet  
 Antequam inire Gradus possit amoris ovans.  
 Deinde ubi iam indeptus primum, suspiria quot nans  
 Ducit, vt & quarta linea Amoris amet.  
 Hanc nactus; Quanto ducit splendore triumphos  
 Gaudia quæ mentis? quos agitatq; iocos?

Haud

Haud quoq̄, disparili victor ratione triumphas  
 BALTHASARE; En te OCVLVS quis petat hicce vides?  
 O Lux! HANI OCVLVS roseo fulgore renidens  
 ANNULA flos Venerum est, mel Charitum atq̄, lepor.  
 HANI I ait sum OCVLVS, corclum, lux, vita, voluptas,  
 Hic quoq̄, mi mea lux, res mea, vita, salus.  
 Et quia nos iunxit sinceri flammula amoris,  
 Hocce meo dulce est vivere, dulce mori.  
 Ecce suos radios tuus hic, uti spargat Ocellus  
 BALTHASARE, ut sparget cum tibi iuncta toro!

11 Cal. Nouemb. F. Anno IC.

M. IOACHIMO REICHIO  
 Pastori Eccles. Butz. Fidelis. de  
 nati nuptijs.

Quid tibi pro officijs precium IOACHIME rependam  
 Mi praestitis REICHI optime?  
 Gratus eram conviva tibi, gratissimus hospes  
 ButzoyI eram domi tuae.  
 Si mihi Numidij modius foret ilicet aureas,  
 Rosas darem Anglicas lubens.  
 At mihi Diva carens oculis sortem hancce negavit,  
 Pauxillulum saltem offerens.  
 Quid vero argenti cumulus; Quae pondera, fulvi  
 Beant metalli plurima.  
 Obveniunt etenim cunctis discrimine nullo,  
 Mixtim bonis ac pessimis.  
 Praestat ijsne animam mitis concordia, praestat  
 Candore mensne purpurans?

VERNE



Verus amicitiae cultus Thesaurus habetur  
Gazis, Ducum beator;  
Absint queis fenum in cornu, quos nigra litura  
Frontis notavit angulos.  
Sed quid promisi REICHI doctissime? Tædis  
Nati adfuturum me sacris?  
Vt fatear verum, est? Verumtamen omnia nosti  
Ex literis quæ obstant mihi,  
Candidus ignoscas igitur. Precor alite fausta;  
Vt coniuges facti novi  
PRÆNIA cum Sponso conscendat limina lecti  
Salvi, vigentes, floridi.  
Hoc mecum ROSEI queis credita cura Lycei  
MYSTERIORVM ANTIISTITES  
SANCTORVM, socer ille tuus clarissimus vnâ  
Virtute dia SCHACHTIVS;  
Hoc itidem illustris genij splendore coruscans  
Precabitur LOBECHIVS  
Affinis tuus. Hi sce vale cum coniuge dulci  
Cum liberis carissimis.  
Hi sce vale REICHI, simili candore vicissim  
Amans tuum RVTINGIVM.  
Sic mihi Butzovij indeptum par nobile Amicûm  
Mancinus atq; Reichius,

Anagramma ex Nominibus Sponsorum Nomi-  
nibus coniunctim sumptis.

I O A C H I-

IOACHIMVS REICHIVS, ANNA PRÆNEIA.

1707.

I RAPE SAVIA REICHI: EN ANNA  
HIC SVMO.

Quantum possit amor spernendo solumq; salumq;  
Donec id apprehendat, quod petit, anne liquet?  
Cæcula Neptuni hinc vada bis tranasse Leandrum  
Legimus, ut Sestæ posset amori frui.  
Quod si tantus amor disiunctos corpore tangit,  
Non age præsentés tangeret ore magis?  
Ne mirere igitur REICHI ornatissime ad osculum  
Quod tua te, invitet, PRÆNIA sic referens.  
I mea dita meum REICHI I RAPE SAVIA corclum,  
I rape basiolum mi Ioachime lubens.  
Moris enim est. Nec tu renues quin ó mea dicas  
Osculum HIC ANNA tuis SVMO decora labris.  
Recte: Ut cuncta domi resonent concentibus aptis,  
Et mens cum parili ut mente habitare queat;  
Tali animorum opus est nexu, concordia, amore,  
Tali mente opus, hic Sponse novelle V A L E.

Prid. purificationis. Mariæ  
M. D. C. F.



DNO.



PETRO STAPPENBECIO S.  
&  
CATHARINÆ SVMINGIÆ  
Sponsis.

**M**ultos exhilarat blandi FLOS tempore Veris,  
Aut ROSA cynameo dulcis odore fragrans.  
Multos MERX triplici cum fenore nacta per orbem,  
Et GAZA attalicis anteferenda bonis.  
Multos irradians Phœbi LVX lampade terram,  
Atq; HONOR aut fama nomina magna vagæ.  
Multos membra fovens Zephyris spirantibus AVR A,  
Et DECUS, ut pario marmore fulta domus,  
Te magis ast recreat CATHarina SVMingia PETRE, ac  
Flos, Rosa, Merx, Gaza, Lux, Honor, Aura, Decus.  
Prisca familiaritatis & Amicitia memor  
L. M. Q. F. M. D. C. IV. id. Apr.

CORONIDIS LOCO;

Cautela

CVPIDINIS AD AMATORES

incassum amantes.

**V**irginem amare bonum. Sed pessimum amore fruisi  
Non posse: Ergo ita ames ut frui amore queas.  
Non frui enim, atq; adamare tamē, tibi cernere flammæ  
Tempore brumali est, sed procul esse ab ijs.

## Candido Lectori S.

Inter inprimendum, Lector amicissime, *Σφάλματα* quædam, typhotæ incuria irrepsere, quæ hic [ quantum animaduertere potui ] adnotata cernes, ac pro animi tui ingenij candore, una cum leuiusculis reliquis benignè corriges. Littera igitur B. columna 2. versu 23. pro beatam lege beatum. colum. 4. v. 16. pro Semmate lege stemmate. Littera D. col. 2. v. 12. lege *πάντα*. col. 3. v. 6. pro qui l. quæ. colum. 6. v. 1. pro mordi l. morbi. colum. II. v. 4. pro culpa l. cæpta. Similia, si quæ sunt, quilibet de rebus hisce dextrè sentiens, facillimè cognoscet, & in meliorem partem interpretabitur. B. V.

















1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
 10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 E  
 the scale towards c

*Candido Lectori S.*

r inprimendum, Lector amicissimi  
 quædam, typosæ incuria  
 e, quæ hic [ quantum animaduer-  
 ai ] adnotata cernes, ac pro animi  
 nij candore, una cum leuiusculis  
 benignè corriges. Littera igitur  
 ana 2. versu 23. pro beatam lege  
 colum. 4. v. 16. pro Semmate le-  
 mate. Littera D. col. 2. v. 12. lege  
 l. 3. v. 6. pro qui l. quæ. colum. 6.  
 moridi l. morbi. colum. II. v. 4.  
 a l. cæpta. Similia, si quæ sunt,  
 de rebus hisce dextrè sentiens,  
 cognoscer, & in meliorem par-  
 pretabitur. B. V.

